



A. Ω.



Præclara omnino sunt, quæ de communi eoque perpetuo erga inimicos amore in medium protulerunt veteres philosophi. Jam Cicero (a) simillimum Deo ducit virum, qui animum vincat, iracundiam cohibeat, victoriam temperet, adversarium non modo extollat jacentem, sed dignitatem ejus etiam amplificet. Id quod velle non multitudinem tantum, sed pati consuetudinem ac ipsam ferre humanitatem in egregio suo (b) de officiis libro docet. Pari fere sapientia æs quasi triplex circa peccatus esse illi judicat (c) Plutarchus, qui hominem non amet hostis sui liberos pressos strenue sublevantem. Superant tamen ut plerisque in morum doctrinis ita & hic verborum dignitate & specie reliquos utique omnes Stoici, tam ornate & splendide de arduo hoc amore philosophantes, ut ex sospitatoris nostri schola eos esse egressos facile crederes.

Quod si vero Stoicam hanc de amore erga inimicos doctrinam, quam ipsi (d) ad optima philosophiæ suæ præcepta referunt, cum Christi præceptionibus conferimus, eaque curatius expendimus, quæ tum (e) de humanarum actionum principiis, deque earum finibus atque remediis, tum etiam de argumentis docent, quibus suos ad grave hoc officium flectunt ac commovent: luculentissime patet, qualibet hæc speciosa asserta ex iis derivari, quæ de Deo & anima humana perperam senserunt.

Sacri

(a) v. ejus Orat. pro M. Marcello C. III.

(b) L. II.

(c) in libr. de utilit. ex inimicit. capienda.

(d) M. Aurel. L. VII. § 22. 36.

(e) v. Buddei Analect. Hist. Phil. inque iis Exercit. II. §. 7. seq.